



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Liber 4. De supernaturali Prouidentia circa reprobos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

LIBER QVARTVS DE SVPER- NATVRALI PROVIDENTIA DEI CIRCA ÆTERNAM SALVTEM REPROBO- RVM, SEV NON ELECTORVM.



Hæc est secunda huius operis pars, in qua de reprobatione dicere aggredimur: quia verò vltimus effectus seu terminus reprobationis est perpetua beatitudinis carentia, ideo ad intelligendum quo modo reprobi à consequentia beatitudinis desistant, necessarium est prius intelligere, quo modo in illam beatitudinem dirigantur, seu ordinentur per diuinam providentiam, quod in hoc libro tractandum est. Et quoniam providentia supponit aliquam intentionem, seu voluntatem finis sibi proportionari, ideo dicemus prius de æterna voluntate, quam Deus habuit de vltima salute omnium illorum, quos ad gloriam efficaciter non elegit: deinde de medijs, quæ ad illum finem eis præparauit.

CAPVT I.

Quam certum sis, voluisse Deum saluare omnes homines, etiam non prædestinatos.

1.
a. Tim. 2.

Gregorius simpliciter partem negatiuam amplectitur est Augus.

Hæc questio fundata est in loco Pauli 1. ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vbi videtur questionem definire, & partem affirmantem tanquam de fide certam docere. Nihilominus Greg. in 1. d. 46. circa fin. simpliciter negat voluisse Deum saluare, quos de facto non saluat: quia quod Deus vult, fit, præcipue quando ab ipso met Deo principaliter faciendum est. Fauetq; huic sententiæ Augustin. qui interdum solet testimonium illud Pauli coarctare ad solos prædestinatos, explicando illud, vel per distributionem accommodam, id est, vt intelligatur de omnibus, qui saluantur, quia nullus saluatur: nisi quem Deus saluari vult: vel vt distributio tantum fit pro generibus singulorum, quia ex omni genere seu statu hominum vult Deus aliquos saluos heri, vt in Enchirid. cap. 103. exponit.

2.
Conclusio.

Testimonio Pauli corroboratur.

Sed nihilominus dicendum simpliciter est, Deum ab æterno voluisse saluare omnes homines, quos creare decreuit: idemq; de Angelis sentiendum est. Probatur ex dicto testimonio: nam si contextus Pauli sincere spectetur, constat vniuersè loqui de omnibus hominibus, & subdit, Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri. Sed constat mentem Pauli esse, vt pro omnibus hominibus simpliciter, sine vlla limitatione oremus: ergo cum eadem vniuersalitate loquitur de omnibus hominibus, quando pro ratione subiungit, quod Deus vult omnes saluos fieri. Quod magis confirmat, & declarat sequentibus verbis, dicens, Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit in redemptionem semetipsum pro omnibus nobis. In quo vltimo verbo certissimum est, loqui de omnibus simpliciter: est enim de fide Deum esse redemptorem omnium hominum: ergo eodem modo loquitur de om-

nibus hominibus in prioribus verbis. Patet consequentia, tum quia contextus, & vniuersitas verborum, & efficacia discursus ita postulat, tum etiam ex ratione, quæ in verbis ipsis insinuat. Ita enim vult Deus omnes homines saluos fieri, sicut vult omnes redimere, cum redemptio non sit, nisi propter salutem hominum: voluntas autem redimendi omnes homines non limitatur ad omnes prædestinatos, nec limitari potest aliquo ex dictis modis, ergo nec voluntas saluandi omnes homines ita limitanda est.

Scio, eundem Augustinum libro de Corrept. & grat. cap. 15. licet intelligat eam distributionem simpliciter de omnibus hominibus, explicare nihilominus per quandam metaphoram, quod Deus velit omnes homines saluare, non quia ipse talem voluntatem habeat, sed quia facit nos velle, & desiderare, vt omnes saluentur, nam hic modus loquendi vltatus est in Scriptura. Sed huic expositioni obstat primo regula eiusdem Augustini, metaphoram locutionem, etiam alibi vltatam, non esse facile alteri loco accommodandam, nisi necessitas literæ id postulet, sed retinendam esse proprietatem, & simplicitatem verborum, quoad fieri possit, quia alias nihil certum ex Scripturæ verbis haberemus. At hic nulla est necessitas recurrendi ad metaphoram, vt patebit. Quin etiam addo, illam metaphoram non esse consentaneam contextui, quia Paulus dicit, orandum esse pro omnibus, quia Deus vult omnes saluos fieri: ergo inducit nos Paulus ad desiderandum omnium salutem ex eo, quod Deus vult illam: ergo tribuit DEO hanc voluntatem, non quia in nobis illam faciat (alioquin iam supponeret, quod persuadere conatur) sed quia illam in se habet.

Secundo, quia si Deus facit nos velle, & desiderare omnium hominum salutem, ideo profecto est, quia hoc est consentaneum voluntati eius: ergo hic effectus Dei, scilicet, quod faciat nos velle omnium salutem, supponit in ipso similem voluntatem. Tertio, quia Paulus etiam ostendit hanc ipsam voluntatem Dei ex eo, quod vnus est omnium Deus, qui vnum mediatorem, & redemptorem omnibus dedit: loquitur ergo de voluntate ipsius Dei. Accedit tandem, quod metaphora, vel proprietates verborum vnus loci ex consonantia aliorum locorum, quoad fieri possit, sumenda est: at in alijs locis non insinuat talis metaphora in simili locutione, sed verborum proprietates, vt ex dicendis constabit.

Verus ergo sensus Pauli est, quem verba simpliciter, ac proprie intellecta præferunt, Deum quantum in se est, velle, ac cupere omnium salutem, ita vt ex parte sua nemini neget providentiam necessariam, nec relinquat viam salutis simpliciter ac perse impolabilem. Atque hunc sensum sequenti sunt eo in loco Chrysostr. Oecumenius, Theophylactus, & alij Græci, Ambrosius, Hieronymus, & alij Latini ibidem, Prosper lib. 2. de Vocatione Gentium, capit. 19. & 25. alias 7. & 8. Athanasius lib. 3. de Assumptione hominis. Item Chrysostr. in epistol. ad Ephes. maxime verò Damascenus lib. 2. de Fide orthodoxa, capit. 29. Diuus Thomas 1. p. q. D. 119.

3.
Augus.
Expusio
Augustini.

Sed contra
expusio
opponitur.

4.

5.
Petrus
D. Pauli.

Chrysostr.
Oecumenius
Theophyl.
Ambrosius
Hieronymus
Prosper.
Athanasius
Damascenus
D. 119.

Aug.

p. q. 19. art. 6. & 3. contra Gentes cap. 159. Estque iam communiter recepta sententia. Eamque tandem sequutus est Augustinus libro de Spiritu & litera. cap. 33. Vbi interrogat, si voluntas credendi donum Dei est, cur non detur omnibus hominibus, cum Deus velit omnes homines saluos fieri. Et respondet. Vult quidem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male vtentes, iustissime iudicentur, quod cum sit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangelio non credunt, &c. Et in lib. ad articulos tibi falso impositos, secundus erat, quod Deus velit omnes saluare: cui respondet, Sincerissime credendum est, atque profectandum, Deum velle vt omnes homines salui fiant, siquidem Apostolus, cuius ista est sententia, sollicite precipit, quod in omnibus Ecclesijs fidelissime custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur, &c. Quae verba habentur apud Prosperum ad obiectiones Vincentianas, responsione 2.

Exeio 18
31
Apo 1.
Iuan. 1.

Francisc.
Iheron.
Osa 13.

7.

Ratione ex
planatur.

8.

Infirmitas
vrius opinio

Driedu

Nihilominus cerum existimo, in vtroque signo, & circa homines in vtroque statu habuisse Deum hanc voluntatem. Nam de priori id conuincit ratio facta de ordinatione totius naturae in illum finem. Et declaratur etiam ab effectu, quia Deus condidit totam humanam naturam in Adamo, illique vt capiti dedit iustitiam pro tota posteritate, nullo indiuiduo excepto: illa autem iustitia cum auxilijs sibi debitis erat principium sufficiens ad beatitudinem supernaturalem consequendam: ergo signum est datam esse ex voluntate saluandi omnes. Confirmatur, quia si aliquis fuisset exclusus ab illa voluntate, pariter exclusus esset a participatione originalis iustitiae, etiam si Adam in illa permanisset: ergo ille tunc non contraheret peccatum originale in Adamo, nec carentia originalis iustitiae haberet in eoracione priuationis, sed mere negationis: at hoc non potest de aliquo homine affirmari trahente originem ex Adamo: ergo nullus potest etiam excludi ab illa generali voluntate saluandi homines. Atque haec ratio cum proportione applicata, probat de Angelis malis, nam si Deus non habuisset erga illos hanc voluntatem, non ordinasset illos in supernaturalem beatitudinem: ergo nec fuisset in illis culpa non tendere in illam per debita media, quod dici non potest.

Difficultatis
descriptio.

10.

Dionys.
Irenaeus

De posteriori autem signo, seu statu hominum in natura lapsa, id conuincit locus Pauli 1. ad Timot. 2. Nam ibi clare loquitur de omnibus iam lapsis, nam pro illis omnibus, prout nunc sunt, orari precipit, & pro illis, pro quibus Christus se in redemptorem obtulit. Et de hac voluntate maxime loquuntur Patres supra citati, ita exponentes verba Pauli. Idemque sumitur ex Diuo Dionysio, capite 2. de Diuin. nomin. & 9. de Coelesti hierarch. Irenaeo libro 4. contra haereses, capite 71. vbi asserta loca Scripturae, & Scholastes ibi congerit alia loca Patrum, & plura referam in sequentibus. Tandem probatur a posteriori ex vniuersali redemptione Christi Domini: nam Deus post prauiusum originale peccatum ordinauit Christum in redemptionem omnium hominum: haec autem ordinatio, seu hoc vniuersale medium fuit effectus illius vniuersalis voluntatis, qua voluit Deus, quod in ipso est, salutem omnium hominum: ergo hanc voluntatem habuit etiam post prauiusum originale peccatum. Patet consequentia, voluntas Dei, quatenus antecessit praesentiam absolutam originalis peccati, ex se non petebat omnium redemptionem, & illa priori voluntate stante poterat Deus non mittere vniuersalem redemptorem: ergo habuit nouam voluntatem nostro modo intelligendi, liberandi omnes homines a lapsu, & ad eum finem dandi vniuersalem redemptorem. Quomodo autem haec voluntas in omnibus locum habeat, ex sequentibus constabit.

CAPVT II.

Qualis sit in Deo haec voluntas saluandi omnes homines, & quod proprium obiectum habeat.

Certum est, voluntatem illam non fuisse per absolutam, & efficax decretum diuinae voluntatis, quae ab aliquibus voluntas simpliciter beneplaciti, ab alijs voluntas consequens dicitur. Quia id, quod Deus sic vult, infallibiliter impletur. Nam de hac voluntate scriptum est. Dominus quacuq; voluit fecit, & illud. Voluntati eius, quis resistit? At constat hanc voluntatem non impleri in omnibus hominibus: ergo non potest esse ita absoluta, seu praedeterminatiua voluntas.

Hinc vero intulerunt aliqui, voluntatem illam non

Handwritten notes and markings on the right side of the page, including large letters and smaller annotations.

Quadam opinio.

non esse per proprium, & formalem actum volendi, qui in Deo fit, quia Deus non habet actum voluntatis imperfectum, qui velleitas dicitur, perfectus autem & absolutus non est, vt diximus: ergo non est proprie actus volendi. Dicunt ergo esse voluntatem signi, quæ tantum est metaphorica, seu interpretatiua. Quia scilicet ita se gerit Deus cum omnibus hominibus, ac si illum actum voluntatis haberet. Ita sentit Caiet. ad Timot. 2. & Marfil. l. d. 45. Alij vero aiunt Deum non habere talem actum formalem, & proprium voluntatis, qui ad felicitatem omnium hominum in se ipsa terminetur, propter rationem factam quod Deus non habet talem voluntatem, quæ consequatur effectum illum: voluntas autem, quæ potest frustrari effectu, imperfecta est, & in Deum non cadit. Addunt vero nihilominus, habere Deum voluntatem dandi mediâ sufficientia, quæ propria est, & formalis in Deo, & ab illa denominari Deum volentem salutem omnium. Ita sentiunt multi scholastici in 1. distinct. 45. & 46. Ratio vero est, quia illa voluntas habet effectum, & ita in suo genere est perfecta, & ideo habet locum in Deo, estque virtualis voluntas finis, saltem in medijs, & causis vniuersalibus, vt sunt iustitia originalis, Christi redemptio, Sacramenta, verbum Dei, generalia auxilia, &c. Et ideo merito potest ratione huius voluntatis dici Deus, velle salutem omnium.

3. Prima assertio.

Dico vero primo, habere Deum in se proprium & formalem actum seu affectum voluntatis, quo vult, & cupit omnium hominum salutem. Probatum primo argumento sumpto ex verbis Pauli citatis, adiuncta generali regula Scripturæ, verba eius esse cum proprietate intelligenda, vbi materia, vel circumstantia literæ non cogunt ad metaphoram. Quod præsertim locum habet, quando Scriptura sepe ita loquitur, & nullibi explicat metaphoram, vt etiam hic inuenitur, vt iam ostensum est, & parebit amplius ex sequentibus. Deinde, ita sentiunt Patres supra relati, maxime Chrysostomus hom. 7. in 1. ad Timotheum, & hom. 1. in ad Ephes. & Damasc. lib. 2. de Fide capite 29. & 30. Tandem declaratur ratione, quia voluntas, quæ appellatur metaphorica semper supponit aliquam propriam: ergo etiam in præsentem admittamus metaphoricam voluntatem circa salutem reprobatorum, non est propria neganda.

Chrysost. Damasc.

4. Probatur ratione.

Explico antecedens: dicitur enim voluntas metaphorica voluntas signi, id est, signum aliquod externum, quo indicatur aliquid, quod Deus vult: hoc autem signum semper supponit in Deo aliquem affectum. Vt, verbi gratia, præceptum Dei dicitur voluntas signi Dei, quia significat, velle Deum id, quod præcipit: quod necesse est, verum esse secundum aliquam propriam voluntatem, alioqui non esset verum signum. Illa autem voluntas non semper est efficax circa opus ipsum, quod præcipitur, sed est vel complacentia in bonitate talis operis, vel voluntas obligandi ad illud faciendum. Et hoc semper reperitur in omnibus signis diuine voluntatis. Ita ergo hic, si circa salutem reprobatorum est aliqua voluntas signi, seu aliquod signum voluntatis diuine, cum necesse sit illud esse verum signum, in Deo indicat aliquam veram voluntatem, à qua procedunt illa signa, quæ nobis indicant, Deum, quantum in se est, velle salutem talium hominum.

5. Secunda assertio.

Dico secundo. Hæc voluntas Dei non solum est de medijs, seu effectibus gratiæ, qui reuera futuri sunt circa hos homines, sed etiam de ipsa æterna beatitudine, etiam si illam consequuturi non sint: imo nostro modo intelligendi circa illam prius versatur, deinde circa alia. Hæc sententia his assertionibus exposta, est (vt opinor) Diui Thomæ 1. part. quæstione 19. articulo 6. ad 1. Durandi 1. distinctione 47. quæstio. 1. Probatum autem hæc secunda propositio, quia Deus confert his hominibus dona gratiæ, quæcumque illa sint, propter hunc finem, vt per illa con-

D Thom. Durand.

sequantur vitam æternam, si velint, vel quantum est ex parte ipsius Dei: ergo necesse est, vt supponatur in DEO intentio aliqua illius finis: intentio autem est vera voluntas, quæ circa finem ipsum versatur: ergo primum antecedens per se notum est, & frequenter habetur in Scriptura. Consequentia autem patet, tum quia operatio propter finem, dicitur relationem ad finem, quæ ducit originem ex intentione finis. Tum etiam, quia Deus dat eisdem hominibus principia, & concursus, quibus condemnari possunt, imo de facto dum male eis vtuntur, damnantur, & tamen non dat propter illum finem, quia illum non intendit: ergo, vt Deus det aliquid propter finem, non satis est velle illud obiectum, quod potest ducere hominem in illum terminum, sed necesse est, Deum talem finem intendere, ad quem aliud obiectum referatur.

Nec satis est dicere, ipsa mediâ gratiæ natura sua tendere in illum finem, vt Deus illa conferendo, dicatur ea donare propter illum finem. Primo quidem, quia hic modus operandi propter finem non est ægentis à proposito, & ideo non est tribuendus Deo. Deinde, quia multa sunt mediâ, quæ non natura sua, sed voluntate Dei in illum finem referuntur, vt, v. g. Passio Christi, institutio Sacramenti, & similia, quæ si Deus voluisset, potuissent ad salutem tantum prædestinatorum ordinari. Denique, quia, vt in superioribus retigi, etiam ipsam fidem, & charitatem potuisset Deus dare hominibus, vt recte operentur in hac vita, sine voluntate dandi gloriam, & sine ordinatione ad illum finem ex parte Dei: necessaria est ergo ex parte Dei illa specialis intentio. Quæ in hoc ipso includitur, quod Deus voluit ordinare naturam humanam in omnibus suis indiuiduis ad supernaturalem beatitudinem consequendam, neque ab ea intentione desistit propter peccatum primi hominis superueniens.

Vt autem hic actus melius intelligatur, & aliarum opinionum fundamenta soluantur, nonnulla dubitanda sunt. Primum est, an hic actus sit liber, vel necessarius in Deo. Aliqui enim Theologi iudicant esse actum necessarium, nam ex eo solum putant ponendum esse in Deo, quod beatitudo hominis cuiusque, apprehensa non solum vt possibilis, sed etiam vt futura, non potest displicere Deo, cum bona sit, nec etiam potest diuina voluntas mere negatiue se habere, & quasi suspensa manere circa tale obiectum, vt supponunt: ergo necessarium omnino est, vt Deus velit tale obiectum. Hic autem actus non potest esse, nisi simplex complacentia, cum non sit actus efficax: ergo est actus necessarius, cum Deus necessario habeat cognitionem, seu representationem talis obiecti. Sequitur etiam hæc opinio ex alio principio, quod Deus non potest habere actum liberum circa obiectum creatum, nisi ex vi talis actus immediate resultat aliqua mutatio in tali obiecto: ex hoc autem actu nulla resultat mutatio in obiecto, non est ergo actus liber.

Ego vero cenfeo, talem actum esse liberum DEO. Hæc sententia est (vt opinor) Theologorum & Patrum, quos capite præcedenti retuli. Non enim colligunt hanc voluntatem in DEO ex aliqua naturali necessitate, sed ex reuelatione, & modo loquendi Scripturæ, & ex effectibus, qui sicut libere fiunt, ita ostendunt liberam voluntatem Dei. Item, si hæc voluntas esset necessaria, non esset speciale beneficium Dei, nec teneretur homo gratias agere Deo propter hunc amorem, quem erga illum habuit, ordinando illum ad beatitudinem supernaturalem. Imo vltimus sequitur, non potuisse Deum creare hominem, quin ordinaret illum ad supernaturalem beatitudinem: quod esse falsum, suppono ex materia de gratia. Sequela patet, quia creando illum, non potuit non habere illum actum complacentiæ circa beatitudinem eius apprehensam vt possibilem, eitam si nunquam extitisset.

extrema esset, vt patet ex prædicta opinione, & applicando rationem eius: per hanc autem voluntatem solum dicitur Deus ordinare hominem ad illum finem, nam si alia requiritur, illa est libera, & illa est de qua nos agimus. Simile argumentum est, quod iuxta illam sententiam, non magis Deus vult beatitudinem reprobi, quam dæmonis, quia etiam beatitudo Luciferi apprehensa vel vt possibilis, vel (quod in idem redit) vt possibiliter existens abstrahendo ab hoc, quod futura sit, non displicet Deo, quia est de se bona, ergo placet eodem modo: & similia exempla possent multiplicari. Ratio vero à posteriori est, quia quidquid sit de illa simplici complacencia necessaria, siue asseratur vere, siue non, præter illam necessarius est actus, quo Deus vere intendat huic homini talem finem. Hic autem actus non potest esse necessarius Deo, nam ex vi illius aliquid ad extra operatur, si creatura non ponat impedimentum: nullus autem voluntatis actus inferens ex se operationem ad extra potest esse Deo necessarius, vt per se manifestum est, & magis hæc ratio ex sequenti dubitatione conlatabit.

Deus, vel vt Chrysostromus loquitur, vehementer desiderat, vt talis beatitudo hominis sit: & ideo quantum est ex parte Dei, ordinatur tale bonum ad existendum: ergo plus habet hic actus, quam simplex complacencia.

Vnde ad rationem in contrarium respondeo, voluntatem illam esse actum aliqua ex parte efficacem, quatenus obligat Deum (vt sic dicam) ad ponendam media, quæ ad ipsum spectant, non esse tamen actum omnino absolutum, sed conditionem includere in obiecto, vt communiter docent Theologi, imo & Sancti, Ambrosius, Chrysostromus, & alij. ad Timot. 2. aiunt, Deum velle saluare hominem, si homo velit. vel aliter ex Chrysostromo ad Romanos 9. Deum velle, quantum in ipso est. Nec sequitur, illum actum non esse de præsentibus veram voluntatem, quia conditio non ponitur ex parte subiecti, quomodo solet suspendere actum, sed ponitur ex parte obiecti ad limitandum illud. Nam licet Deus velit nunc tale obiectum esse, non tamen vult omni modo, nec sine vlla limitatione, sed solum quantum exigere potest sufficiens prouidentia eiusdem Dei. An vero illa voluntas dicenda sit beneplaciti, nec ne, quæstio esse potest de modo loquendi, nam hæc vox ab aliquibus sumitur pro absoluto, & efficaci proposito Dei, quo sensu constat non esse voluntatem beneplaciti. Latius tamen, & satis proprie iuxta vim vocis, Beneplacitum, dici potest quidquid placet Deo, & quod cupit, vt fiat, quantum in ipso est. Hoc ergo modo continetur illa voluntas inter voluntates beneplaciti, sicque necessarium non est omnem voluntatem beneplaciti habere effectum, sed absolutam semper, conditionatam autem, solum conditione impleta. Nec vero sequitur hanc voluntatem esse imperfectam, quia non est in Deo ex impotentia habendi maiorem voluntatem, si velit, sed ex libertate, & ideo potius pertinet ad perfectionem Dei, vt possit ita velle.

9. Secundo dubitari potest, an hæc voluntas sit in Deo tantum simplex complacencia, vel si etiam actus per modum prosecutionis. Hac enim distinctione vtuntur Gregorius, & alij Theologi supra, & ad rem explicandam conferre potest. Nam in voluntate intelligi potest actus, quo placet rei bonitas, siue possibilis, siue existens cognoscatur, ita tamen, vt qui in illa complacet, non intendat illam facere, aut procurare, & talis dicitur simplex complacencia: quando autem voluntas aliquo modo proponit rem illam facere, aut obtinere, dicitur tali actu prosequi rem: & talis est intentio, & reliqui actus, qui ex illa sequuntur. Aliqui ergo significant, hanc Dei voluntatem solum esse priori modo, quia si esset ex se ordinata ad opus, vel esset absoluta, & sic semper haberet effectum, vel esset conditionata, & sic de præsentibus non esset vera voluntas, sed tunc futura esset, quando conditio poneretur, vt dicitur dicit, si Petrus veniret, hoc facerem, tunc quidem nihil facit, sed posita conditione, ponenda esset actio.

Vltimo vero inquiri potest, an hæc voluntas sit æqualis respectu omnium, in quibus non habet effectum. Nam citati Patres videntur ita loqui, & ideo comparant Deum Soli, qui ex se a que paratus est ad illuminandum omnes, vt videre licet in S. Ephrem in principio suorum operum. Comparat etiam medico, qui paratus est ad curandum omnes Ambros. 1. ad Timoth. 2. In contrarium vero est, quia effectus, seu media, quæ dantur his hominibus, non sunt æqualia, vt experientia constat: dictum est autem supra, differentiam electionis mediocrum indicare diuersitatem intentionis, quia seruant inter se proportionem.

10. Nihilominus assero talem voluntatem esse per modum prosecutionis, & quantum est ex se, inducere operationem. Probat, quia omnis intentio finis est actus huiusmodi, nam illa posita, necessesse est vt voluntas eligat media, & illa exequatur, quantum exigit intentio, vt constat ex 1. 2. & hoc est, actum esse prosecutionis: sed hic actus voluntatis diuinae est vera intentio, vt dictum est, ergo. Et declarari potest ex differentia inter hominem prout nunc creatus est, & prout crearetur in puris naturalibus. Nam tunc in Deo posset intelligi illa simplex complacencia naturalis: Deus autem ex vi illius nullum supernaturale medium conferret homini sic creato, imo habere posset propositum absolutum non dandi aliquid huiusmodi, nunc vero ita vult hominibus illum finem, vt ex vi huius voluntatis necessario det aliqua media supernaturalia, vt constat latius in sequentibus: ergo talis voluntas non est pura complacencia, sed prosecutionis aliquo modo ordinata ad rei effectum. Confirmatur & declaratur, nam si in Deo est aliqua simplex complacencia, quæ non supponat scientiam visionis de re iam existente, seu futura, solum est de re possibili. Nam licet dicatur esse de re apprehensa vt existente, reuera id solum est, quatenus ipsummet existere apprehenditur vt possibile, & ita solum representatur Deo per scientiam simplicis intelligentiam. Vnde ex vi illius complacenciae talis res non ordinatur ad existendum, & ideo talis complacencia fortasse esse potest actus necessarius. Voluntas autem de qua nunc agimus, non ita se habet, sed per illam vult

Respondere rem esse incertam, & vtramque partem posse facile defendi. Nam in primis illa æqualitas, de qua loquuntur sancti, non est intelligenda simpliciter, quia de omnibus hominibus absolute loquuntur, sed solum quoad hoc, vt DEVS quantum est ex se, neminem excludat à Regno, voluntate antecedente. Et deinde intra illum modum volendi sub conditione nihil repugnat, Deum, quantum est ex se, velle huic dare decem gradus gloriae, alij centum, &c. Quod sane in Angelis reprobis verisimile est, supposita communi sententia, Deum illis dedisse gratiam iuxta proportionem naturalium: nam inde probabiliter inferitur, cum eadem proportione ordinasse illos ad gloriam, & ita communiter etiam creditur, illis fuisse preparatas sedes inæquales, ad quas tandem assumpti sunt homines prædestinati. In hominibus autem non est omnino eadem ratio, quia non habent in natura illam inæqualitatem, nec Deus in danda illis gratia talem proportionem obseruat. Neque etiam ratio supra tacta de inæqualitate mediocrum in his hominibus cogit, quia potuit illa inæqualitas ex aliis causis oriri: fortasse enim multa auxilia dantur repro-

11. Ad rationem in contrarium respondetur.

Ambros. Chrysostr. 1. Tim. 2.

12. Insuper vltima difficultas.

Ambros. 1.

13. Resolutio questionis.

Handwritten notes in the right margin, including the word "AN" and other illegible characters.

Handwritten notes in the right margin, including the word "V" and other illegible characters.

reprobis occasione prædestinatorum potius, quam directe & per se propter illos. Fortasse igitur Deus ex se voluit indifferenter hos saluare, quamuis (vt dixi) aliud etiam possit facile defendi.

CAPVT III.

An Deus prouiderit omnibus adultis non electis sufficientia media ad æternam salutem consequendam.

1. *Dubitandi ratio.*

Ratio difficultatis est, quia id, quod Deus ab æterno proponit faciendum ab ipso in tempore, cum effectu fit: sed in tempore non datur gratia sufficiens omnibus non electis, cum tamen à solo Deo dari possit: ergo signum est non esse prouisam ab æterno pro omnibus. Consequentia euidens est. Minor inductione constat, quia nec reprobis semel iustificatis datur gratia sufficiens ad perseverandum vsq; ad mortem in iustitia, nec fidelibus omnibus peccatoribus datur spiritus penitentiae, vt iustificentur, nec infideles illuminantur supernaturaliter, modo sufficiente, imo & necessario ad salutem. Maior autem etiam probatur, quia id, quod Deus prouidet faciendum per causas secundas, interdum potest per causas secundas impediri, ipso Deo permittente: at quod faciendum est ab ipso met Deo, à nemine impediri potest, si ipse id dare decreuisset, ac prouidisset: ergo signum est nõ prouidisse, quod non dat.

2. *Afferio.*

Nihilominus absolute dicendum est, Deum prouidisse omnibus his hominibus media aliquo modo sufficientia, vt possint consequi salutem. Hæc est sententia communis Theologorum, quos citauit cap. 2. tam pro nostra, quam pro contraria sententia: & intelligitur conclusio de omnibus lapsis in Adamo, nam de priori statu nulla est difficultas. Probatur autem primo, quia Scriptura de his hominibus loquitur, quoties habet has vniuersales propositiones sine exceptione, *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1. Quod licet de naturali lumine rationis ab aliquibus intelligatur, reuera tamen intelligendum est de lumine gratiæ, & fidei, vt ex communi sententia Patrum ibi tradunt Iansenius, Toletus, & Maldonatus, & ex materia, & contextu satis constat. Facit etiam illud Christi Domini Matt. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis,* &c. Et illud 2. Petri 3. *Nolens aliquem perire.* Videri etiam possunt capitula 12. 13. & 14. Sap. vbi variis modis, & verbis hæc veritas traditur.

Ioan. 1.

Iansenius. Toletus. Maldonatus. Matth. 11. 2. Pet. 3.

3. *Prosper.*

Secundo, ex his, & aliis locis ex professo probat hanc veritatem Prosper lib. 2. de vocatione gentium, à principio, & præsertim c. 8. alias 20. & sequentibus. Et idem habet ad obiectiones Gallorum, in 8. resp. & ad obiectiones Vincent. resp. 2. & 7. qui liber solet tribui Augustino sub titulo, *Ad articulos sibi impositos.* Fauet etiam idem Augustin. lib. 3. de libero arbitrio, dicens hominibus imputari, quod Deum volentem saluare contemnunt. Quod confirmat lib. de Natura, & gratia, cap. 67. docuit etiam Chrysostr. hom. 55. in Genes. & 7. in Ioan. Cyril. lib. 1. in Ioan. ca. 11. & optime Basil. in regulis fufius disputatis, regula 2. Et multa alia ad hoc confirmandum ex Scriptura, & Patribus sumi possunt ex Cardinali Bellarm. li. 2. de gratia, cap. 5.

Chrysostr. Cyril. Basil. Bellarm.

4.

Prosper. Fulgent. Concil. Trident.

Tertio hoc ostendo ex illo principio, *Deus neminem deserit nisi prius deseratur ab ipso,* quod fuit Augustini libro de natura, & gratia, cap. 26. Et in eo conueniunt Prosper dict. response 7. ad Vincent. & Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 13. & tandem probauit Concilium Tridentinum Sessione 6. ca. 11. & 13. Quamuis Concilium de solis iustificatis loquatur, quia de illis certius est. Alij vero Patres generaliter loquuntur, & cum proportione accommodari debet ad singulos status, seu ordines hominum, vt in sequentibus de-

clarabo. Nunc ex absoluta illa locutione, ita concludo. Quia si Deus ex se aliquibus hominibus denegasset auxilium sufficiens, profecto deseruisset illos, priusquam esset desertus ab ipsis, quia nulla est maior desertio in hac vita, quam denegatio auxilij sufficientis: quam si Deus ex se vult, non expeçtat causam ex parte hominis: ergo nõ prius homo deserit Deum. Imo nec vere potest dici homo, deserere Deum: quia vt vere homo Deum deserat cum auxilio sufficiente supponi debet. Vltimo confirmari hoc potest ratione supra facta de vniuersali redemptione Christi Domini, quam cum aliis, & modum etiam huius sufficientiæ explicabo melius, satisfaciendo rationi dubitandi in principio positæ, vnde etiam magis confirmabitur hæc veritas.

Tres ergo difficultates in illa ratione attinguntur. Prima est de reprobis semel iustificatis, quia illis non datur perseverantiæ donum: nam qui recipit hoc donum, perseverat, teste Augustino toto lib. de Bono perseuer. & de Correctione, & gratia: isti autem non perseverant: ergo non recipiunt hoc donum: ergo carent medio necessario ad salutem, quia tale est donum illud, nam sine illo nullus saluatur, nec saluari potest, vt sentit August. lib. de Corrupt. & grat. ca. 12. & Concil. Trident. sess. 6. ergo isti nec potestatem, nec auxilium sufficiens ad salutem obtinendam recipiunt.

Ad hanc difficultatem concedimus in primis, ad perseverandum in gratia necessarium esse speciale Dei auxilium, quod donum perseverantiæ vocatur ex Concilio Tridenti. sess. 6. can. 22. Arausico. can. 10. & 17. Deinde dicimus, hoc donum ex parte Dei paratum esse omnibus iustis, si faciant, quod possunt cum auxilio, quod iam habent, & facere debent ad illud consequendum. Et ita etiam ex hac parte omnes habent paratum auxilium sufficiens ad salutem. Ita docuit aperte Concilium Tridentinum sess. 6. capit. 13. Sequiturq; ex dicto principio, quod maxime verum habet in hominibus iustis, qui nõ deseruntur à Deo, iuxta illud Psalm. 36. *Domine amant iudicium, & non derelinquet sanctos suos.* Et 2. Paralipo. cap. 15. *Si quaesieris eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Et ratio est manifesta, quia perseverare nihil aliud est, quam seruire præcepta, & non peccare: iustus autem semper habet auxilium sufficiens ad non peccandum, alias ei non imputaretur.

Dices, habere quidem auxilium sufficiens ad vitanda singula peccata, non vero collectionem eorum multo tempore, quod necessarium est ad perseverandum. Respondeo in primis, perseverantiam breuissimi temporis posse sufficere ad vitam æternam, vt si iustificatio fiat in vitæ. Deinde, ita recipit iustus auxilium ad vitandum, v. g. primum peccatum, vt sic, tunc faciat quod in ipso est, & oret Deum, recipiat maius auxilium ad continuandam perseverantiam, quod si semper oret, semper etiam inueniet paratum maius auxilium, & ita semper est in potentate eius obtinere hoc auxilium, etiam ad collectionem, & pro multo tempore. Imo etiam sæpe prædestinati in executione obtinēt hoc donum prædicto modo, quamuis aliquando etiam liberalius præueniantur à Deo, vt constat ex 1. 2. q. 114. art. vlt. vbi lacius de hac re, & nonnulla diximus lib. 3. de Auxilijs, c. 11.

Secunda difficultas est, de reprobis peccatoribus, etiam fidelibus, qui in hac vita ita deseruntur, vt conuerti non possint, vt de Pharaone loquitur Augustin. in expositione inchoata Epist. ad Rom. prop. 62. Vbi tantam dicit fuisse illam impotentiam, vt inobediencia iam non imputaretur. Quod etiam ratione dicendum erit de omnibus excæcatis, & obduratis, & consequenter de omnibus reprobis, saltem pro aliquo vltimo tempore vitæ. Quia sufficiens auxilium ad conuersionem peccatoris incipit ab ex-

sitatione gratie: sed excitatio hec non semper datur, sed certis temporibus, ergo datur aliqua vltima, ergo post illam manet peccator sine auxilio sufficiente toto reliquo tempore vite.

9. Hæc difficultas, expeditur.

Hæc difficultas breuiter expeditur, quia precipua eius pars late tractata est in materia de penitentia. Dico ergo in primis, omnes fideles peccatores habere pro aliquo tempore huius vite auxilium ita sufficientem ad iustificationem, & consequenter ad salutem, vt solum per eos stet, quo minus salutem consequantur, & hoc satis esse in rigore, vt vere dicatur DEVS velle eos saluare, & prouidere illis media necessaria ad salutem. Deinde dicitur, etiam pro toto tempore huius vite habere reprobos aliquo modo hoc auxilium sufficientem, quia licet non pro quolibet instanti, vt quolibet parte temporis illud in se actu recipiant, Deus ex parte sua parat⁹ est illud dare per ordinaria, & conuenientia media sue prouidentie, quod satis est, vt in tom. de penit. late dixi.

10. Vltima est pars de fidei iustis pars de remiss.

Vnde ad vltimam partem propositæ difficultatis, quæ contra hoc procedebat, concedendum est, dare aliquam excitationem vltimam in hac vita, quod commune est reprobis, & prædestinatis regulariter. Vnde non possunt reprobi ob hanc causam conueniri de insufficientia auxilij, nam interdum, ac sepe habent sufficientem, sibiq; imputant, si illi resistit. Nam ad prouidentiam Dei solum spectat dare huiusmodi vocationem temporibus opportunis. Vnde, sicut in discursu vite contingit, vt inter primam, & secundam excitationem, nulla occurrat opportunitas, ita in fine vite, ab eo instanti, in quo datur vltima excitatio, vsq; ad instantem mortis, potest non occurrere opportuna occasio vocandi. Et forte, quia Deus hoc præuidit, ideo non statuit dare aliam vocationem, cum aliqui ex se sit paratus ad vocandum in omni occasione opportuna, & hinc est quod illa excitatio fuerit vltima.

11. Et fere ad eundem modum dicendum est de altera parte, quæ pertinet specialiter ad homines induratos, ex carnis, & carnis. Nam ex parte Dei nemini denegatur omnino auxilium sufficientem tempore opportuno, & non posito impedimento: homo autem est, qui resistit, & fit impotens ad salutem consequendam, quia vult. Vt sepe loquitur Augustinus, præsertim de Corruptione & grat. ca. 12. & sequenti. Et ita etiam in his verum habet, non deserit à Deo nisi quia prius deserunt Deum: quod semper intelligendum est de desertione actuali, & ex suppositione impedimenti voluntarij, non tamen de desertione omnimoda ex parte Dei, ita vt Deus statuerit, vel aliquos homines non vocare, etiam tempore opportuno, vel non iuuare illos ad non peccandum: & non ponendum impedimentum, si ipsi velint. Hoc enim modo neminem Deus in hac vita deserit, vt pie credimus, de quare in citato loco de penitentia late dictum est.

Auguſt.

Tertia difficultas est de infidelibus nunquam ad fidem vocatis. Multi enim sunt huiusmodi, quibus non videtur Deus prouidisse modum, seu ordinariam viam, per quam supernaturalem vocationem obtineant, quia nec ipsi possunt se ad illam præparare, nec extrinsecus offertur, quia nullus ad eos prædicator missus est. Quo modo autem audiunt sine prædicatore? Non est ergo illis prouisa vocatio secundum ordinariam legem: at sine vocatione saluari non possunt: ergo non est illis sufficienter prouisum ad salutem.

12. Tertia difficultas.

In hac difficultate varij sunt modi dicendi. Quidam putant, hos omnes nunquam recipere supernaturalem vocationem, vel illuminationem in se ipsis: ac prouide illos omnes consideratos in particulari cum circumstantiis occurrentibus, credere non posse, propter impedimenta: Nihilominus tamen, Deum antecedenti voluntate voluisse omnium eorum salutem, & pro illis prouidisse remedia gene-

13. Vnde dicitur de his difficultatibus modis dicendi.

ralia, & per se sufficientia: Quod si fortasse in particulari hæc applicari non possunt, non tenetur Deus miraculoso modo subuenire: esset autem miraculum, si vel fides reuelaretur sine ministerio hominis, dicente Paulo ad Roman. 10. Quomodo audiunt sine prædicante? Vel si homo aliquis extraordinario, & miraculoso modo illuc perduceretur. Quæ sententia fundari potest in Augustin. 4. contra Iulian. capit. 8. & aliis locis, in quibus quoad hoc negotium æquiparat paruulos, & adultos, constat autem multis paruulis non aliter prouidisse Deum, vt cap. seq. videbimus. Idem sentit Prosper. 1. de Vocat. Genr. capit. 13. & libro 2. per multa capita. Nec dissentit D. Thom. 2. 2. quæ. 2. artic. 5. ad 1. dum ait, aliquos priuari auxilio seu vocatione ad fidem, propter impedimentum peccati, & interdum propter solum originale. Ratio deniq; est, quia ex generalibus locutionibus Scripturæ, & Deus illuminat omnem hominem, & similibus, non amplius colligitur, quam quod Deus per generales causas id præstet omnibus. Vnde tam de paruulis, quam de adultis intelliguntur, vt circa verba citata notauit Maldonatus Ioan. 1. Non inueniuntur autem alia promissiones speciales factæ pro his adultis.

alia, & per se sufficientia: Quod si fortasse in particulari hæc applicari non possunt, non tenetur Deus miraculoso modo subuenire: esset autem miraculum, si vel fides reuelaretur sine ministerio hominis, dicente Paulo ad Roman. 10. Quomodo audiunt sine prædicante? Vel si homo aliquis extraordinario, & miraculoso modo illuc perduceretur. Quæ sententia fundari potest in Augustin. 4. contra Iulian. capit. 8. & aliis locis, in quibus quoad hoc negotium æquiparat paruulos, & adultos, constat autem multis paruulis non aliter prouidisse Deum, vt cap. seq. videbimus. Idem sentit Prosper. 1. de Vocat. Genr. capit. 13. & libro 2. per multa capita. Nec dissentit D. Thom. 2. 2. quæ. 2. artic. 5. ad 1. dum ait, aliquos priuari auxilio seu vocatione ad fidem, propter impedimentum peccati, & interdum propter solum originale. Ratio deniq; est, quia ex generalibus locutionibus Scripturæ, & Deus illuminat omnem hominem, & similibus, non amplius colligitur, quam quod Deus per generales causas id præstet omnibus. Vnde tam de paruulis, quam de adultis intelliguntur, vt circa verba citata notauit Maldonatus Ioan. 1. Non inueniuntur autem alia promissiones speciales factæ pro his adultis.

Rem 10.

Auguſt.

Proſper.

D. Thom.

Ratio.

Maldon.

Hæc sententia non continet errorem, nec temeritatem: nihilominus mihi non probatur, tum quia Theologi frequentius aliter sentiunt: tum etiam quia est nimis rigorosa: nam scriptura plus significat de diuina prouidentia circa homines adultos. Nam cum illi per proprios actus possint & saluari, & condemnari, videtur ad prouidentiam Dei spectare, vt non tantum generatim, sed etiam in particulari, singulos adiuet, si ipsi impedimenta non possint.

14. Dicitur semel in articulo.

Est ergo secunda sententia extreme contraria, nullum esse hominem ratione videntem, qui non aliquando illuminetur in hac vita, ita vt ex vitalis vocationis interioris possit, si velit, immediate credere per fidem sufficientem ad salutem, atque adeo supernaturalem, tam ex parte obiecti materialis, quam formalis. Quæ sententia videtur sumi posse ex patribus in principio huius capituli relatis, habent enim locutiones, quæ videntur hoc probabiliter suadere. Et ratio est, quia non repugnat, imo videtur facile fieri posse ministerio Angelorum, quos Deus dedit custodes talium hominum, quantumcumq; infidelium, in ordine ad beatitudinem eorum: ergo credendum est ita fieri.

15. Secunda sententia.

Hæc opinio præ se fert pietatem quandam, sed non potest fundari satis, nec facile credi. Suppono enim, fidem de aliquo obiecto supernaturali esse necessariam ad salutem. Videtur autem clarum, & certum, multos esse homines, quibus tale obiectum in hac vita non reuelatur, vt de multis nationibus gentium & Scriptura significat, & homines experiuntur. Nec dici potest, eos accipere talem reuelationem, quamuis postea omnino illam ignorent: quia licet homo possit ignorare interiorem modum operandi in suis actibus, scilicet, an sit naturalis, vel supernaturalis: tamen obiecta proposita, & apprehensa, non potest ignorare, saltem pro eo tempore, pro quo illi actu proponuntur. Vnde etiam potest illa memoria retinere, quamuis fidem illis non adhibuerit: Alias inutilis esset talis reuelatio: nam si ignoratur, parum, aut nihil ad fidem deseruiet, multoq; minus poterit obligationem inducere.

16. Non admittitur.

Alij ergo ita declarant hanc sententiam, vt dicant omnes infideles recipere interiorem vocationem gratie, vt credere possint supernaturaliter, saltem illa, quæ de DEO naturaliter cognosci possunt, vt DEVM esse, & colendum esse. Non quia illa fides sufficiat ad salutem, sed quia si homo illam receperit, per illam se disponet, vt de supernaturalibus etiam obiectis illuminetur, & sic tandem iustificetur.

17. Aliqui declarant hanc sententiam.

Solent

Handwritten notes in large letters, possibly 'AD' and 'V'.

Soletq; hæc opinio D. Th. tribui, sed alia est eius sententia, vt statim referam. Potest autem hæc tribui Prospero, li. 1. de uocatione Gent. c. 5. quatenus dicit, Hos Gentiles recepisse Propheticas voces, & præcepta legalia in elementorum obsequijs, & testimonijs. Alladens ad illud Pauli Act. 14. Non enim sine testimonio reliquit semetipsum, significansq; Deum fuisse vsum his creaturis, non tantum ad tribuendam cognitionem naturalem, sed etiam ad eleuandum hominē ad cognitionem supernaturalem earundem rerum, quæ per creaturas cognosci possunt. Quomodo etiam aliqui exponunt cap. 2. Epist. ad Rom.

18.
Adhuc sic de
clarata non
probat.

At vero hæc etiam sententia, licet probabilis fortasse sit, mihi est creditu difficilis, tum quia vix credo posse intelligi, quod aliquis eleuetur ad credendum supernaturaliter aliquod obiectum, alias naturale, nisi recipiat etiam eiusdem obiecti reuelationem supernaturalem: tum etiam, quia inueniuntur multi Gentiles, qui penitus ignorarunt omnia, & illa, quæ de Deo naturaliter cognosci possunt, ita vt neq; apprehensionem, nec conceptionē illorum habuerint.

19.
Assertio.

Dicendum ergo est, quamuis homo non possit suis viribus præparari ad diuinam uocationem, posse tamen illi impedimentum ponere peccando, & hanc esse causam, ob quam multi infideles actu non recipiunt uocationem supernaturalem, id est, proxime sufficientem ad actum fidei supernaturalis. Nihilominus tamen Deum, quod in se est, paratum esse ad uocandū, & illuminandum omnes. Vnde, quicumq; non posuerit impedimentum de facto illuminabitur, seu uocabitur, vel exterius per homines, ita disponente Deo res humanas, vt id sine miraculo fieri possit, per aliud genus gratuitæ prouidentia: vel certe interiorius illuminando ministerio Angelorum, quod non est omnino miraculosum, sed pertinens ad supernaturalem prouidentiam, vt sumitur ex Augustino 1. ad Simplicianum, q. 2. Hocigitur modo recipiunt hi homines à Deo sufficiens auxilium, saltem antecedente uoluntate.

Augul.

20.

Quod si quis dicat, hoc ipsum, id est, non ponere impedimentum, non esse in potestate horum hominum. Respondendum est, ad hoc ipsum iuari à Deo per aliquam prouidentiam gratiæ, per quam licet non eleuentur ad operandum aliquid supra naturam, iuantur saltem ad non violandam legem naturæ, & omnino resistendo huic gratiæ, incapaces fiunt alioris: quod si hac uterentur, licet non mererentur supernaturalem uocationem, neq; ad illam se disponent, saltem eam non impedirent, & ita opportuno tempore daretur eis sufficiens uocatio. Et hæc sententia sic exposita est D. Thomæ q. 14. de Verit. ar. 11. ad 5. & sumitur ex 3. contra Gentes, c. 159. & 1. 2. q. 89. art. 6. Alenf. 3. p. q. 69. memb. 3. art. 1. Adria. quodlib. 4. art. 1. & ex alijs Theologis allegatis in li. 2. si ad bonum sensum trahantur. Est etiam hæc sententia D. Prosperi in libris de Vocat. gentium præsertim in c. 8. alias 20. & sequentibus. Colligitur etiam ex locutionibus Scripturæ supra citatis, & ex eo quod Paulus ignorantiam Gentilium attribuit semper culpæ eorum, vt ad Ephes. 4. Alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in ipsis, propter cecitatem cordis ipsorum. Solum posset hic obici, quia sequitur, ignorantiam fidei non esse inuincibilem in his omnibus, sed de hoc alias. Nunc breuiter neganda est sequela, quia licet illi re ipsa ponant impedimentum, tamen hoc ipsum ignorant, scilicet hoc esse impedimentum: & ideo in hoc specialiter non peccant. Atq; hoc modo in his hominibus saluatur etiam illud principium, vt non deserantur à Deo nisi quia ipsi deserunt Deum.

D. Thom.
Alenf.
Adrian.

D. Prosper.

Ephes. 4.

Utrum omnibus infantibus, qui in hac uita ad rationis usum non peruenerunt, prouiderit Deus sufficiens media ad salutem.

DE infantibus est peculiaris difficultas, propter eos, qui ita videntur remedio salutis destituti, vt eis non possit per humanam industriam, vel diligentiam applicari. Si enim accidit in primis infantibus his, qui in matris uisceribus moriuntur: deinde illis, qui in ea occasione, & dispositione nascuntur, vt priusquam possit aqua, v. g. inueniri, vel minister uocari, qui baptizare sciat, moriuntur. Deniq; eadem ratio est de omnibus, qui sine culpa alicuius, casu aliquo sine Sacramento decedunt. De quibus ita potest formari argumentum, illi omnes carent remedio, & non propter uoluntatem propriam, quia illius non sunt capaces, nec propter uoluntatem parentis, aut alterius hominis, quia ibi nulla culpa, neq; negligentia parentis, vel alterius intercessit, vt supponimus: ergo non potest ille effectus, referri nisi in uoluntatem Dei, qui res ita disposuit, vt non posset tale remedium tali infanti applicari, vt sentit Augustinus de natura & gratia c. 8. & de Bono perseuer. c. 12. & de Correp. & gratia c. etiam 12. Ergo simpliciter fatendum est, Deum nullo modo prouidisse his paruulis de remedio sufficiente.

Confirmatur ex comparatione ad adultos. Si enim Deus homini adulto non ponenti impedimentum, negaret omne auxilium ad salutem, diceremus plane, sua sola uoluntate non dare, ac proinde non prouidisse illi sufficiens media: at nunc, quia non negat nisi ponenti impedimentum, dicimus ex parte sua omnibus dare, & omnibus prouidisse: sed illi paruuli non ponunt impedimentum per suam uoluntatem, vt constat, nec per uoluntatem patrum, quia non ponitur in uoluntate eorum, imo sæpe illis facientibus quantum possunt, deest facultas applicandi remedium, ergo non potest hoc tribui humane uoluntati, sed diuinæ, quæ ex se noluit his prouidere de sufficienti remedio contra originale peccatum, solum propter peccati originalis malitiam.

Propter hæc Gregor. 1. d. 46. q. 1. docuit absolute Deum, positiuè, & ex se, noluisse plures infantes saluare, vt illis de sufficienti remedio contra originale prouideret. In eademq; sententiam inclinât Driedo, de Captiuit. & redemptione gener. human. tract. 5. c. 3. Referuntur etiam pro eadem sententia D. Tho. 4. d. 9. q. 1. ad 1. & Gabr. d. 4. q. 2. art. 3. dub. 2. & Richard. 1. d. 46. art. 7. & Soto lib. 2. de nat. & grat. ca. 10. in fin. Sed reuera id non dicunt, sed potius oppositum supponunt, vt statim dicam. Potest uero hæc sententia confirmari, quia licet Deus infiruerit generale remedium baptismi, si tamen res ita Deus disposuit, vt licet parentes faciant quantum possunt, non possint applicare baptismum, nec Deus ad hoc speciale auxilium conferat, dici non potest Deus prouidisse illis paruulis de sufficienti remedio, quia baptismum non est remedium nisi vt applicandus, & ut sic est impossibilis, quia applicatio est impossibilis: ergo non potest dici, tales paruulos habuisse auxilium sufficiens, cum neq; in se, neq; in parentibus illud habuerint.

Sed licet fortasse magna pars huius controuersia sit in modo loquendi, simpliciter dicendum censo, Deum ex parte sua uoluisse his infantibus salutem eternam, ac proinde prouidisse illis omnibus absque ulla exceptione media de se aliquo modo sufficientia ad salutem æternam. Hanc censo esse communiorem sententiam Theologorum, quam ita declaro. Nam prima eius pars pertinet ad aliud generale dogma supra tractatum, Deus uult omnes homines sal-

uos fieri, sub quo parvuli omnes à Theologis comprehenduntur eo ipso, quod non excipiuntur: ita verò de illo scribunt D. Thom. Scotus, & alij superius relati, & communiter reliqui in 4. d. 4. & 6. & in 1. q. 45. & 46. In particulari verò de parvulis ita loquitur Bellarm. lib. 2. de Grat. capit. 5. ad finem, & Vega lib. 5. in Trident. cap. 6. ad finem. Videturque expressa sententia Prosperi libro 2. de Vocatione gent. capit. 8. alias 32. Quæ maxime fundatur in illo testimonio Pauli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, cum omnibus, quæ de illo & similibus supra tradita sunt.

Respondent aliqui, verba illa Pauli limitanda esse ad adultos, quia statim Paulus subdit, *Et in agnitionem veritatis venire*. Quod non nisi adultis conuenire potest. Sed hoc nullius momenti est: nam Augustin. lib. 4. contra Iulian. etiam parulos, qui iustificantur, & saluantur, ait, *Venire in Regnum Dei, ubi certa est veritatis agnitio*. Et alijs locis sæpe docet, parulos baptizatos, *credere habere*, licet non credant actu: ergo eodem modo dici possunt venire in agnitionem veritatis. Neq; obstat verbum *veniens*, quod significare videtur voluntariam fidei susceptionem. Quia etiam parvuli dicuntur venire per voluntatem parentum, iuxta morem loquendi Ecclesiæ. Itaque per posteriora verba non limitantur priora, quæ in rigore, & proprietate vniuersalia sunt. Et præterea, ponderationes supra factæ ad parulos extenduntur, scilicet quia cum Paulus ait, pro omnibus esse orandum, vel Christum esse redemptorem omnium, parulos sub ea distributione comprehendit. Atq; ita intellexerunt locum illum expostores, & Augustin. supra, *Nunquid* (ait) *parvuli homines non sunt, vt non pertineat ad id quod dictum est, vult omnes homines salvos fieri*.

Ex hoc ergo principio, & priori assensionis parte concludimus posteriorem. Nam qui vult finem, si prudenter agat, vult etiam media sufficientia ad finem, saltem eo modo, quo vult finem, alioqui vel formaliter, vel virtute, & vellet, & noller: ergo, si Deus ex se voluit omnibus parvulis finem æternæ beatitudinis, voluit etiam, & præparavit sufficientia media, quantum est de se. Respondent aliqui illud assumptum esse verum de intentione finis efficaci & absoluta, non verò de voluntate, quæ tantum est simplex complacencia, qualis est illa voluntas, qua Deus vult omnes salvos fieri. Probatum assumptum, quia cum aliqui in naufragio metu mortis projicit merces in mare, simplicem quidem affectum habet non projiciendi, quam explicare solemus illis verbis, nollem projicere, & tamen nullum medium applicat ad non projiciendum, sed potius totus est in projiciendis mercibus, ergo signum est simplicem affectum non inferre applicationem mediorum: ergo, quamvis Deus simplici affectu velit æternam salutem horum parvulorum, non recte inde inferitur, quod det illis sufficientia media ad eandem salutem: imo cum priori affectu fiat efficax, & absoluta voluntas non applicandi media necessaria, vt exemplum adductum manifeste declarat.

Verumtamen hæc responsio aliena est à mente antiquorum Theologorum: omnes enim existimant, illas voluntates esse inter se connexas, & ideo ferè omnes ex priori inferunt posteriorem vt capit. præcedenti vidimus. Gregor. verò, qui ausus est posteriorem negare, consequenter etiam negavit priorem. Et declaratur primo ratione: Nam si voluntas illa, quam Deus habet de salute horum parvulorum, non inferret ex se collationem, vt oblationem sufficientium mediorum, non magis Deus vult hos parulos lapsos in peccato originali salvos fieri, quam voluerit angelos malos post lapsum in peccatum saluare, quia etiam in illo obiecto, scilicet, sanctificatione, & glorificatione illorum Angelorum similitudo.

Suarez: De Deo trinuno.

placiter complacere potest, quia per se spectatum optimum est. Quamvis ergo ad illum effectum nulla media applicare voluerit, illam complacenciam simplicem habere potest: est ergo eadem ratio. Simile argumentum est, quod eodem modo dici posset Deus velle vniuersalem hypostaticam omnium naturarum, hominum, & angelorum, quia si ad veritatem illius locutionis sufficit affectus, vel complacencia a deo simplex, vt neq; inferat media neq; villo modo inclinet ad opus, sed respiciat tantum bonitatem, vel pulchritudinem obiecti secundum se, profecto maiori ratione, complacet Deus in illo obiecto vniuersali vniuersi hypostaticæ, & ad illud simpliciter afficitur, quam ad vniuersalem salutem omnium parvulorum.

Præterea in responsione illa, & in exemplo, quod in ea adducitur, quædam latet æquiuocatio, & fit transitus à voluntate simplici, & conditionata dandi media, quantum est ex parte Dei, ad voluntatem absolutam, & efficacem. Nos enim non dicimus; Deum absolute, & efficaciter velle dare cum effectu omnibus his parvulis omnia media proxime sufficientia ad salutem, sed solum paratum esse, quantum est ex se, ad danda illa, & consequenter id velle saltem simplici affectu, & voluntate includente conditionem. Et hanc tantum voluntatem dicimus necessario sequi ex priori voluntate saluandi omnes, etiam si non sequatur voluntas efficax dandi media, vt per se constat. Atq; tantum hoc vltimum, probat exemplum allatum.

In quo etiam considerandum est, in illa voluntate imperfecta projiciendi merces, quæ velleitas, vel simplex affectus appellatur, conditionem includi formaliter, seu virtute, propter quod etiam voluntas conditionata appellatur, quia eius obiectum est hoc, non projiciam merces, si cum eis possum euadere periculum. Sub hac ergo ratione habet illa voluntas, rationem intentionis, non absolutæ, & efficacis, sed cum illa limitatione, si possum saluari. Et ita ex vilius intentionis applicatur media, quæ illi fini sub eadem conditione possunt deseruire: nam qui habet illum affectum, procurat, omnibus modis euadere periculum retinendo merces, quantum potest. Non pertinet autem ad illam intentionem applicare media ad non projiciendas merces cum periculo salutis, & nauis, quia ille affectus non extenditur cum tanta perfectione ad illum finem. Sed ad summum inferitur ex illa intentione quædam præparatio animi ad applicandum illa media, & resistendum projectioni, si periculum cesset, vt conditio impleatur. Quæ consideratio in omni simili effectu, qui versatur circa obiectum simpliciter possibile, & quod secundum se potest per media obtinere, locum habet & verissima est.

Ad hunc ergo modum philosophandum est de illo simplici affectu diuinæ voluntatis circa æternam salutem horum parvulorum, habet enim rationem cuiusdam intentionis illius finis, quatenus per media comparari potest. Non tamen est intentio absoluta, sed includens aliquam conditionem, quam his verbis explicamus, *Volo, quantum est ex me, seu ex parte mea*. Sub qua conditione voluntas illa est efficax, seu habet virtutem efficacis, quando conditio impletur, quia conditionalis; impleta conditio, transit in absolutam. Vnde fit, vt voluntas illa duo necessario operetur: Vnum est, vt si quæ sunt necessaria ad salutem, quæ à solo Deo pendunt, & sunt accommodata capacitati parvulorum, vt eis aliquo modo conferri valeant, illis necessario offerantur, & quantum ipsi capaces sunt, conferantur. Sic Christus pro illis mortuus est, & pro eisdem æque, ac pro illis redemptionem suam obtulit: Item pro eis baptismum instituit, & quantum in ipso est contulit, & sic de alijs huiusmodi medijs. Et ratio est, quia in his medijs impletur conditio, quantum in Deo

Et est, cum

D. Thom.
scotus.
Bellarm.
Vega.
Prosper.

5.
Ergo.
Dicitur.

6.

Responsio.

7.

8.

9.

10.

3.
Ad rationem
contrariam
respondetur.

9.

10.

est, cum illa non pendeant, nisi ab ipso, ergo respectu illorum voluntas illa transit in absolutam, & efficaciam.

11. Ad id, quod dicta voluntas operatur, est, quod in his medijs, quæ pendunt à causis secundis, ut est applicatio baptismi, & similia, Deus ex vi illius voluntatis, quæ in eo supponitur, non potest peculiari, aut directa prouidentia impedire illam applicationem seu executionem talium mediolorum, alioquin iam ageret contra illam conditionem, quantum in se est. Vnde potius ex vi huius affectus cogitur, (ut sic dicam) ad offerendum quantum in se est ordinarium auxilium, vel concursum ad talem applicationem ex parte sua necessarium. Et hoc satis est, ut dicatur, ex se velle etiam hæc media præstare, saltem voluntate antecedente & simplici, ac proportionata intentioni finis. Non tamen cogitur, ex vi illius affectus circa finem, immutare ordinem aliarum causarum, ut talia media cum effectu applicentur, quia hoc excedit limitationem illius affectus, & conditionem in eius obiecto inclusam.

12. Et quidem priorem partem huius discursus non obscure confirmat Paulus, cum immediate post illa verba subiungit, *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit in redemptionem semetipsum pro omnibus nobis.* Ac si diceret, ideo se dedit in redemptionem pro omnibus, quia omnes saluare vult. Vnde etiam concluditur argumentum supra in simili factum, Christus redemit hos paruulos sufficienter: ergo & pro eis obtulit mortem suam, quæ in suo genere est remedium de se sufficiens ad salutem, & per illam eis meruit, quæcumque in ipso est, reliqua sufficientia media, per quæ salus applicari solet.

13. Respondent aliqui, Christum dici redemptorem horum paruulorum, non quia pro eis obtulit passionem suam, sed quia pretium passionis de se erat sufficiens etiam pro illis, & causa illorum erat communis cum alijs hominibus. At hoc satis non est, ut Christus verè & propriè dicatur redemptor, etiam quoad sufficientiam talium hominum: quod est cõtra communem sententiam Theologorũ. Quam expresse tradit Prosper ad primam obiectionem Vincentij, & ad nonam Gallorum, & sumitur ex illo 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatus pro peccatis nostris et non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* & 2. ad Corinth. 5. *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi.* Et ad Roman. 5. *Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes in iustificationem vitæ.* Sequela patet, quia non satis est pretium esse sufficiens, nisi offeratur: nam etiam pro demoniis erat sufficiens valor in Passione Christi, & non propterea Christus fuit redemptor eorum etiam quoad sufficientiam. Parumq; referret causam esse communem, si oblatio pretij non fuisset pro omnibus communis. Vt si mille homines essent captiui ob eandem causam, & quispiam diues potens ad redimendum omnes, solum pro quingentis pretium offerret, & alios nullo modo liberare vellet, non diceretur redemptor eorum, etiam quoad sufficientiam. Imo tunc clara esset exceptio & limitatio, ac merè voluntaria.

14. Respondent, Christum quidem affectu simplici desiderasse, ut sua merita his etiam paruulis prodesse: Patrem autem hoc non acceptasse, neq; ordinasse. Sed hoc non recte dicitur. Primo, quia non minus Deus voluntate diuina, quam Christus humana, voluit salutem & redemptionem omnium, iuxta illud Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, & illud 1. ad Timoth. 4. Deus est saluator omnium, utiq; quoad sufficientiam, maxime fidelium, quoad efficaciam.* Vnde si Christus habuit illam voluntatem, ut reue-

ra habuit, in ea se conformauit voluntati diuinæ; per quam accepterat munus vniuersalis Redemptionis: quod per eam generalem oblationem exequabatur. Vnde, non solum pro paruulis, qui fuerunt post aduentum ipsius Christi, suam passionem obtulit, ut quidam volunt, sed etiam pro omnibus, qui à principio mundi fuerunt, quia omnium fuit vniuersalis redemptor, & illa oblatio necessaria ad redemptionem, ut dictum est. Nec refert, quod illis iam non posset applicari fructus passionis, nam factis est, quod suis temporibus fuerit eis parata salus propter Christum, quantum est ex parte Dei, & vniuersalium mediolorum, quæ ad hoc instituebantur: in quo ferè eadem est ratio de adultis, qui superioribus temporibus damnati fuerant. Satis ergo constat, omnibus paruulis data esse generalia remedia necessaria ad salutem, quæ ex sola Dei & Christi voluntate, ac institutione dependent.

Altera verò pars de medijs quæ ex causis secundis pendunt, & per illas applicantur, satis declarata est in superioribus. Duas enim partes continet, vna est, Deum non habuisse voluntatem efficacem, & absolutam dandi tali media, quæ est euidentis ex ipsis effectibus, & probatur optime argumentis in principio factis: Nihil tamen ad præsentem causam refert, quia ex intentione finis solum antecedente, & inefficaci non sequitur talis voluntas mediolorum. Alia pars est, quod Deus simili voluntate antecedente, & quantum est de se cuperet applicari talia media etiam his paruulis, non quidem omni modo possibilibus, nam hoc pertineret potius ad efficacem voluntatem, sed per ordinarias causas, nam hoc satis est ad voluntatem antecedentem Dei, ut generalis prouisoris. Hoc ergo satis est, ut dicatur Deus prouidisse sufficientiam media etiam pro his paruulis, & ex parte sua nulli posuisse impedimentum, licet illud permiserit in multis, in quibus præiudicet ex alijs causis fuisse euenturum. Quod magis patebit respondendo ad obiectiones in principio factas.

16. Prima erat de paruulis, qui moriuntur in vtero: propter quam Caietanus existimauit paruulos illos propter orationes parentum, vel per aliud remedium posse sine baptismo saluari. Et Gabr. & alij indicant, posse hoc de diuina pietate sperari. Certum tamen est eos de lege non saluari, nec habere aliud remedium: & hoc est quod docent S. Thom. & Richard. & late Soto, & Vega. Hic verò addit, illos non esse priuatos omni remedio, tum quia possent saluari baptismo sanguinis, si mater propter Christum occideretur: tum etiam, quia possunt parentes precibus obtinere à Deo, ut prius in hæc lucem exeant, quam moriantur. Dico tamen satis esse, ut Deus & baptismum ita institui voluerit, ut quacumque ratione eis applicetur (sive diuino vtero matris iure, vel iniuria, illa viuentis, vel post mortem eius, siue quocumque alio casu) eis prodesset, & quod ordinauerit causas, in quibus esset virtus per se sufficiens ad hunc effectum. Nam, licet in particulari contingat impediri, non pertinet ad generalem prouidentiam immutare cursum earum: quod (ut dixi) satis est ad voluntatem Dei antecedentem. Idem dicendum est de quocumque alio casu, in quo est moraliter, vel humano modo impossibilis applicatio baptismi: Nam illud impedimentum, quatenus tale est, semper est ex permissione diuina, non ex directa ordinatione: quæ permissio supponit præscientiam, & addit voluntatem non tollendi illa impedimenta, sed ordinandi illa ad altiores fines prouidentia. Et solum hoc ait Augustinus in citatis locis.